

GIURISPRUDENZA

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 11 giugno 1993, Prot. N. 22785/91 CA N. *Rimozione dall'ufficio* (Rev.do X - Congregazione per il Clero).*

Amotionis ab officio
(Rev.dus X - Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno xv, die 11 iunii 1993, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D. Bernardino Gantin et Antonio Maria Javierre Ortas necnon Exc.mis ac Rev.mis Vincentio Fagiolo, *Ponente*, Ioseph Mercieca, Philippo Giannini et Iuliano Herranz, in causa N., Amotionis ab officio, inter Rev.dum X et Congregationem pro Clericis, intervenientibus cl.mis Patronis Renato Ottaviani pro recurrente, et Thoma Mauro pro Congregatione, necnon Rev.mo P. Ioseph Di Mattia, O.F.M.Conv., Promotore Iustitiae deputato, hanc definitivam tulerunt Sententiam.

canonicali

I. FACTI SPECIES

1) Rev.dus Sac. X, canonicus Capituli N., prius de amotione monitus dein reapse amotus fuit ab eodem canonicali

* Vedi dopo la sentenza il commento di JAVIER CANOSA, *L'articolazione dinamica della distinzione fra diritto penale e diritto amministrativo nella Chiesa*.

officio per decretum Exc.mi Archiepiscopi die 3 maii 1991 datum.

Causae, quae graves dicuntur ad amotionem legitimandam, ordinis disciplinaris tum in Decreto Archiepiscopi tum in Decreto Congregationis pro Clericis diei 5 iunii 1991 indicantur.

2) Sac. X describitur uti «sacerdote intelligente, fundamentalmente bueno con una extraña conciencia de superioridad, debida tal vez a algún desequilibrio síquico que le ha hecho actuar siempre desde una seguridad en sí mismo, que le ha hecho conflictivo doquiera ha estado porque tiende a enjuiciar gravemente a los demás con gravísimas acusaciones de estar en pecado mortal contra quienes no piensan como él o ponen en duda sus razones».

Sac. X contra haud unum sed plures capitulares accusationes perfecit, etiam perdurantibus sessionibus capitularibus. Huiusmodi modus agendi Rev.di Sacerdotis causa fuit propter quam Archiepiscopus N. censuit procedendum esse contra eundem presbyterum, at non per iudicalem viam sed potius per administrativam formam, «a fin – scribit Praesul – de evitar que el recurso, que indudablemente iba a plantear el Sr. X, fuera *in suspensivo*, pues la convivencia dentro del Exc.mo Cabildo se había hecho absolutamente insostenible».

3) Contra Archiepiscopi voluntatem eiusque agendi modum Sac. X lamentabatur suum Ordinarium haud recte riteque pastorale munus exercere, cum parum vel nihil defenderet doctrinam catholicam atque Ecclesiae orthopraxim circa sacramentum reconciliationis, praesertim ad confessionem individualement quod attinet. Ideoque, iuxta eundem Sacerdotem, quaestio cum suo Archiepi-

scopo non esset disciplinaris sed potius ordinis dogmatici. At Excellentissimus Ordinarius, sollicitus in praecavendis periculis quae obvenire potuissent non admodum Capitulo sed etiam Dioecesi, conatus est pluries ad bonam frugem Rev.dum X convertere. At incassum, ob pertinaciam voluntatis dicti capitularis in defendenda sua opinione. Et in hoc modo agendi Sac. X Praesul N. videbat errorem sui sacerdotis: «pertinaz desenfoque de la realidad es una prueba más de que dicho señor padece ideas obsesivas compulsivas».

4) His omnibus perpensis ac cribratis, Exc.mus Archiepiscopus N. die 13 februarii 1989 Decretum edidit «en el que le adelanté que si (Sac. X) persistía en su actitud me vería obligado a privarle de su Oficio de Canónigo, por la gravedad de sus faltas en sí mismas y porque, además, estorbaba la debida convivencia capitular». At noster capitularis non admodum acquievit sed perrexit in «las mismas faltas» graviter difficiles reddendo duas sesiones capitulares, uti Canonici ipsi denunciaverunt Exc.mo Archiepiscopo dicentes «que, dada la situación de violencia creada por el Sr. X, no puede convocar a sesión capitular, si no se resuelve antes dicha situación; y que los M.I. Sres. Capitulares denunciantes me comunican que no pueden asistir a ninguna sesión si fuere convocada».

Quapropter Exc.mus Archiepiscopus censuit decernendum esse «por este Decreto Administrativo la remoción del Sr. X de su oficio de Canónigo de la Santa Iglesia Catedral de (...) y por la paz del Exc.mo Cabildo, le queda prohibido el ejercicio de cualesquiera actos de la potestad de Orden o de

sdicción dentro del ámbito catedralicio de N.».

5) Haec omnia per Decretum diei 14 februarii 1990 statuta fuerunt ab Exc.mo Archiepiscopo N. contra Sac. X. At die 26 februarii 1990 Rev.dus X petivit ab Archiepiscopo suo revocationem Decreti diei 14 februarii eiusdem anni, quia violatus fuerit c. 1720 petensque simul solutionem aequitativam sui casus ad mentem cc. 1446 et 1713. His examinatis petitionibus, Archiepiscopus novum confecit Decretum, se paratum dicens ad revocandum Decretum diei 14 februarii 1990, si Rev.dus X acceptaverit condiciones quasdam, praesertim vero renuntiationem ab officio canonicali, quas tamen Sac. minime acceptavit. Quapropter Archiepiscopus die 26 martii 1990 confirmavit tum amotionem Rev.di X ab officio tum iam dictas prohibitiones. Interea autem, nempe die 27 februarii 1990 Rev.dus Canonicus scripserat Summo Pontifici proponens contra decisionem sui Archiepiscopi recursum, quem vero Secretaria Status die 28 martii 1990 ad Congregationem pro Clericis transmisit, apud quam Congregationem et ipsemet Sac. X, die 7 aprilis 1990, formalem recursum interposuit, quem et communicavit suo Archiepiscopo die 10 eiusdem mensis et anni. Mensibus subsequentibus conatus etiam peracti fuerunt ad restaurandam reconciliationem inter Archiepiscopum et Sacerdotem, ut ad solutiones quoque aequitativas partes pervenirent. Quod autem possibile non fuit.

6) Congregatio pro Clericis die 18 aprilis 1991 decrevit admittendum esse recursum interpositum a Rev.do X ideoque ratum haberi non posse Decretum administrativum Exc.mi Archiepiscopi, eo nempe sensu quod legitima erat amotio Rev.di Canonici ab officio

li, at haud legitima prohibitio imposita huic Canonico in perpetuum exercendi actus potestatis Ordinis et iurisdictionis intra fines Ecclesiae Cathedralis; cum haec enim sit poena et quidem perpetua, imponi non potest decreto administrativo, attentis cc. 1342, § 1 et 1342, § 2.

Die 3 maii 1991 Archiepiscopus, postquam recusationem acceperat a Rev.do X acceptandae condicionis renuntiationis ab officio canonicali, novum protulit Decretum quo, ob adhuc adstantes causas graves pro remotione Rev.di X ab officio canonicali, statutum est eundem Sacerdotem amotum esse a suo officio canonicali et per quinque annos non exercere posse actus potestatis Ordinis et iurisdictionis in cathedrali ecclesia.

Sac.dos contra hoc novum Decretum die 7 mensis maii 1991 apud suum Archiepiscopum petiit Decreti revocationem. At petitionem respuit Archiepiscopus, qui, immo, per Decretum diei 11 maii 1991 plene confirmavit Decretum editum die 3 maii eiusdem anni, negans simul suspensionem executionis huius Decreti, quam petierat Rev.dus Canonicus. Hic tamen contra postremum sui Archiepiscopi Decretum recursum interposuit apud Congregationem pro Clericis, die 21 maii 1991; at haec Congregatio, die 5 iunii 1991 recursum Sac. X reiecit et Decretum administrativum Archiepiscopi confirmavit, statuens tamen Canonico ea stipendia eiusdem officii esse tribuenda quae usque ad diem qua Decretum ipsi recurrenti notificatum fuerat maturata sunt, atque in futuro Archiepiscopum debere prospicere necessitatibus recurrentis.

7) Die 2 iulii 1991 Rev.dus X H.S.T.

recursum protulit adversum Decretum Congregationis pro Clericis, die 5 iunii 1991 (prot. 190819/I) datum, quo eadem Congregatio ratum habuit Decretum administrativum Exc.mi Archiepiscopi N. diei 3 maii 1991. Die 31 ianuarii 1992 Exc.mus Secretarius H.S.T. communicabat Exc.mo Archiepiscopo N. Sac. tem X recursum fecisse contra decisionem Congregationis pro Clericis, quae iam Advocatum nominaverat ad suam perficiendam defensionem et eandem rem peregissee recurrentem. Dein, in Congressu eiusdem S.T. habito die 17 iulii 1992 decretum est: a) recursum esse admittendum ad disceptationem; b) atque, viso c. 1353, suspendendam esse executionem decreti diei 3 maii 1991, si et quatenus nondum ipso iure haberetur.

At, valde miratus est de hac suspensione Exc.mus Archiepiscopus, qui proinde scribens, die 29 iulii 1992, H.S.T. significavit: «Graves razones me decidieron a resolver el problema por vía de un Decreto administrativo y no por vía judicial. Una de dichas razones fue precisamente el evitar que el recurso que el Sr. X iba a plantear sin duda en uso de su Derecho, entrañara automáticamente la suspensión de la ejecución del Decreto recurrido según lo previsto en el canon 1353, ya que su reincorporación al Exc.mo Cabildo se presentaba absolutamente inconveniente si no imposible». At aliter censuit H.S.T. Congressus, in quo ad rem die 6 novembris 1992 decretum est: «In decisis decreti diei 17 iulii 1992», praesertim has ob rationes: «Perspecto quod ad Congressum huius Signaturae Apostolicae non pertinet anticipare iudicium quod ad solum Collegium Em.morum et Exc.morum

Iudicum spectat, circa quaestionem scilicet utrum praefatum decreti Exc.mi Archiepiscopi etiam quoad substantiam sit reapse poenale, necne; Cum ex parte Congressus huius Supremi Tribunalis sedulo vitanda sit decisio quae violare possit clarum praescriptum c. 1353».

Tandem, die 8 octobris 1992 coram Exc.mo Secretario H.S.T., citatis patronis partis recurrentis et Publicae Administrationis atque Promotore iustitiae deputato, concordatum fuit Dubium sub hac formula: *an constet de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum Congregationis pro Clericis diei 5 iunii 1991 confirmantem decretum Exc.mi Archiepiscopi diei 3 maii 1991.*

II. IN IURE ET IN FACTO SIVE QUOAD MODUM PROCEDENDI SIVE IN DECIDENDO

8) Ante omnia, recolenda sunt haec iuris canonici principia:

- Clara habetur distinctio inter administrativum ordinem et iudicarium. Secundum c. 1400, § 2: «controversiae ortae ex actu potestatis administrativae deferri possunt solummodo ad Superiorem vel ad tribunal administrativum». In casu, recursus ad Superiorem fieri debet ad normam cc. 1732-1739; et recursus contentioso-administrativus ad Tribunal administrativum Signaturae Apostolicae secundum art. 123, §§ 1-2, Const. Ap. *Pastor bonus* (cfr. c. 1445, § 2) et artt. 96-126 eius *Normarum specialium*.

- Actus singularis administrativus generatim non est poenalis, atvero inter-

dum poenalis esse potest. Recitat enim c. 1342, § 1: «Quoties iustae obstant causae ne iudicialis processus fiat, poena irrogari vel declarari potest per decretum extra iudicium...» (c. 1342, § 1). Non omnis tamen poena via administrativa imponi vel declarari potest, nam: «Per decretum irrogari vel declarari non possunt poenae perpetuae, neque poenae quas lex vel praeceptum eas constituens vetet per decretum applicare» (c. 1342, § 2). Si poena via administrativa irrogatur vel declaratur, recursus est in suspensivo, iuxta praescriptum c. 1353: «Appellatio [iudicialis] vel recursus [hierarchicus vel contentioso-administrativus] a sententiis iudicialibus vel a decretis, quae poenam quamlibet irrogent vel declarent, habent effectum suspensivum».

- Sedulo distinguendum est inter amotionem ab officio, de qua in cc. 192-195, et privationem officii, de qua in c. 196, quae privatio fit in poenam delicti, per se est poena perpetua et itaque tantum via iudiciali imponi potest. Amotio ab officio, e contra, minime pertinet ad provinciam iuris poenalis et decerni potest a competenti auctoritate, si agitur de officio collato ad tempus indeterminatum, «ob graves causas atque servato procedendi modo iure definito» (c. 193, § 1). Qui modus procedendi exponitur in cc. 50-51, salva strictiore ratione procedendi pro determinatis officiis iure statuta, ut v.g. in parochis amovendis (cfr. cc. 1740-1747). Nihil impedit quominus Superior competens etiam aliis in casibus hanc strictiorem rationem procedendi servet; sufficit autem ut servetur ille modus procedendi, qui in casu iure requiritur. Amotio ab officio natura sua definitiva est; nihil autem impedit quominus Superior competens promittat se post aliquod non nimis breve temporis

spatium rem iterum consideraturum esse ad videndum utrum, necne, cessatis gravibus rationibus ob quas amotio decreta est, amotus denuo ad idem officium nominari possit.

- Prohibitio exercendi potestatem in certo loco delinquentem afficere potest tamquam poena expiatoria (cfr. c. 1336, § 1, n. 3), atvero etiam citra delictum tamquam praeceptum mere disciplinare ob iustam et proportionatam causam eaque perdurante imponi potest. Perpetua autem prohibitio exercendi potestatem in certo loco difficulter tamquam praeceptum mere disciplinare considerari potest.

Hae recoluntur etsi simplices et sat cognitae rationes, quia quaestio in casu ante omnia solvenda ea est quae respicit modum procedendi ab Exc.mo Archiepiscopo adhibitum quum voluit et reapse decrevit amotionem Rev. Sac. X ab officio canonicali et ab exercenda potestate sive Ordinis sive iurisdictionis intra fines ecclesiae Cathedralis eundem sacerdotem abstinere debere.

9) Haud dubium est priorem modum agendi Archiepiscopi contra ius fuisse, cum poenam perpetuam irrogavisset per decretum administrativum, contra c. 1342, § 2. Propter hanc rationem Congregatio pro Clericis, die 18 aprilis 1991 acceptavit recursum Rev. di X pro ea parte Decreti Exc.mi Archiepiscopi qua statutum fuit eundem Sacerdotem in posterum carere facultate exercendi actus potestatis Ordinis et

iurisdictionis intra fines ecclesiae Cathedralis.

10) At, etsi priore tempore Exc.mus Archiepiscopus erraverit irrogans poenam perpetuam administrativo modo, non autem – uti Codex praescribit – ordine servato iudiciali, tamen dici nequit omnia ab eodem Archiepiscopo peracta nulla aut illegitima fuisse ideoque eundem Archiepiscopum post primum Congregationis pro Clericis decretum, ab imis debuisse novum processum instituere. Si enim superior hierarchicus non confirmat impugnatum decretum auctoritatis inferioris, sufficit ut inferior auctoritas emendet errores in ordine ad novum decretum ferendum, quin requiratur ut omnia ab imo denuo fierent.

11) Neque Decretum alterum, diei 3 maii 1991, quod Exc.mus Archiepiscopus, administrativo ordine procedens et corrigens errorem prioris Decreti, prodiit, dici potest ordinis poenalis. Non enim hoc sequi videtur argumentando tantummodo ex sola citatione canonum 193 et 196, quam auctor Decreti fecit in parte eiusdem Decreti enarrativa, et canonum 1342 et 1720 qui habentur in parte motiva. Canones isti, prouti exstant in Decreto diei 3 maii 1991, non dant Decreto substantiam poenalem; neque, per se, poenalem formam, eo vel magis quod in decisoria parte nulla canonum citatio habetur.

12) Quod Decretum diei 3 maii 1991 non habeat poenalem formam neque substantialiter dici possit poenale, deducitur sine ullo dubio ex verbis quae in eodem Decreto habentur ad provisionem seu decisionem dicendam ex parte

Exc.mi Archiepiscopi, quoad quaestionem exortam inter Rev.dum Sac. X, uti canonicum Capituli cathedralis, et ipsum Archiepiscopum N. In Decreto supra dicto enim auctor Decreti loquitur de *remotione*, et non de privatione, quae poenalis decisio est, et insuper graves iudicat *causas*, quae amotionem legitimum, non autem delictum vel delicta, quae cum privatione coniunguntur.

Cum, non solum perspecta facti specie huius controversiae, sed praesertim attente considerato ipso textu alterius decreti Exc.mi Archiepiscopi, plane constet de eius praevaletenti voluntate procedendi ad amotionem Rev.di X ab officio et minime de intentione ipsi imponendi poenam privationis officii, decretum sub hac luce interpretandum est. Quam ob rem, cum amotio suapte natura sit definitiva, clausula «ad quinquennium» amotioni apposita, intellegi nequit quasi Rev.dus X elapso quinquennio ipso facto in officio suo redintegraretur, sed potius tamquam manifestatio voluntatis Archiepiscopi rem, illo quinquennio elapso, denuo considerandi.

13) Canon 193, § 1 clarum esse haud dubitari potest; dicit enim: «ab officio quod alicui confertur ad tempus indefinitum, non potest quis amoveri nisi graves causas atque servato procedendi modo iure definito». In casu negari nequit adesse causas graves, uti facta quae retulimus supra bene demonstrant. Et quoad modum, quem Exc.mus Archiepiscopus secutus est, nihil contra ius factum est, eo vel magis quod ius non praescribit specialem modum. Et Exc.mus Archiepiscopus se gerere censuit iuxta c. 50; notitias enim et probationes

exquisierat, pluries audivit eos quorum iura laedi potuissent, praesertim conatus est audire et loqui cum Rev.do Sac. X; audivit Capituli cathedralis membra; et, tandem, uti praescribit c. 51, Decretum scripto confecit et tulit, motiva in eo significans suae decisionis. Immo, Exc.mus Archiepiscopus in casu non solum servavit modum procedendi cc. 50-51 praescriptum, verum etiam modum strictiorem, scilicet modum procedendi pro parochis amovendis, quod nulla norma prohibet faciendum. Quam ob rem eo vel magis concludendum est Exc.mum Archiepiscopum secutum esse modum procedendi iure praescriptum ad amotionem ab officio quod atinet.

14) Quoad ab officio amotionem Exc.mus Archiepiscopus tum in procedendo tum in decidendo rite egit, vel saltem non probatur normas ipsum transgressum esse. Decretum enim novum Exc.mi Archiepiscopi, confectum fuit post priorem decisionem Congregationis pro Clericis et emendatum iuxta eiusdem Congregationis dicta. Sed unum tantum errorem Auctor in priori Decreto commisit, nempe suspensionem decrevit exercitii potestatis Ordinis et iurisdictionis, non temporaneam, sed perpetuam quod facere non poterat, stante c. 1342. Hoc autem errore correcto, omnia rite statuta habenda sunt, sive in procedendo, quia per viam administrativam Archiepiscopus agere poterat, sive in decidendo quia causae graves aderant et rite exposita sunt in novo Decreto. Causae enim, quae graves dicuntur atque requiruntur, in casu naturae disciplinaris et numquam poenalis seu criminalis eas Archiepiscopus habuit et ita exhibuit sive Sac. X sive in Decreto, quo

dos amotus fuit a suo officio. Hoc demonstratur etiam ex citatione canonum 193, § 1 et 1740 ss., qui respiciunt amotionem ob causas mere disciplinares. Et si obiciatur quod violatum fuerit c. 1720, imprimis respondendum videtur hanc normam pertinere ad ius poenale, ideo non ad nostrum casum; secundo, etsi admissio, at non probato, quod ille canon pertineat etiam ad nostrum casum, dicendum est eius normam saltem substantialiter observatam fuisse: Archiepiscopus enim conatus est significare Rev.do X accusationes probationesque, at incassum quia sacerdos comparere neglexit; insuper Archiepiscopus rite audivit duos peritos, Vicarium Generalem Archidioeceseos et omnia membra Consilii Episcopalis.

15) Quoad prohibitionem exercendi potestatem Ordinis et iurisdictionis in ecclesia cathedrali etiam dicendum est Exc.mum Archiepiscopum rite egisse tum in procedendo tum in decernendo. In casu, ante omnia, bene notandum est hanc prohibitionem logice coniunctam esse cum amotione ab officio. Cum enim Exc.mus Archiepiscopus fere coactus fuerit a necessitate providendae paci communitatis Capituli cathedralis – et hoc sub respectu legitimus est recursus ad c. 1741 – quae valde turbata erat ob modum sese gerendi Sac. X, si hic sacerdos pergere potuerit in ecclesia cathedrali exercitium suae potestatis Ordinis et iurisdictionis, amotio ab officio fere nihil profuerit ipsius Capituli communitati.

Insuper – et hoc bene notandum – Exc. mus Archiepiscopus ut bonus pastor et pater se exhibuit erga Sac. X. Hic suum pastorem graviter accusavit de opinione erronea circa administrationem sacramenti poenitentiae. Exc. mus Archiepiscopus tamen semper dictum sacerdotem paterne pertractavit; imo nominavit eum canonicum Capituli Cathedralis, uti signum suae benevolentiae.

Omnia ab Exc. mo Archiepiscopo patrata pro pace fovenda et communione restauranda, inutilia fuerunt, ita ut unica legitima et salutaris solutio ea visa est quae ab eodem Archiepiscopo data casui fuit. Ideo, amotio et prohibitio – quae ad quinquennium existimanda est – unicum remedium visae sunt et quidem disciplinaris indolis.

16) Dicimus proinde quod ex his omnibus quae iam retulimus, etsi prohibitio exercitii potestatis Ordinis et iurisdictionis possit pertinere ad ius poenale, tamen hoc, re per se et substantialiter bene perpensa, non excludit possibilitatem comminandi eandem prohibitionem per decretum naturae mere disciplinaris. Quae vero possibilitas reapse - uti in nostro casu - fit concreta et fere necessaria ad rem deducendam, quum eadem prohibitio imponatur, non per se uti poena ob patratum crimen, sed ut bene prospiciatur bono publico, in casu bono communitatis capituli cathedralis, propter quod bonum decreta fuit ab officio amotio, stantibus gravibus causis et servato ordine qui mere disciplinaris dicendus est vel saltem non contra ius.

Ideo legitima fuerunt Decreta Archiepiscopi diei 3 maii 1991 et Congregationis pro Clericis diei 5 iunii 1991.

III. CONCLUSIO

17) Quapropter proposito dubio, diei 8 octobris 1992, respondendum est *negative* seu non constare de violatione legis neque in procedendo neque in decernendo relate ad actum Congregationis pro Clericis diei 5 iunii 1991 confirman-tem Decretum Exc. mi Archiepiscopi N. diei 3 maii 1991.

Ita pronuntiamus et statuimus, mandantes iis ad quos spectat, ut executioni tradant hanc Nostram Sententiam definitivam.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11 iunii 1993.

(Sign. ti)

✠ Bernardinus Card. Gantin
 Antonius M. Card. Javierre Ortas
 ✠ Vincentius Fagiolo, *Ponens*
 ✠ Ioseph Mercieca
 ✠ Philippus Giannini
 ✠ Iulianus Herranz Casado

Die 10 septembris 1993

Notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus

✠ ZENON GROCHOLEWSKI
Secretarius

VINCENTIUS CÁRCEL ORTÍ
Cancellariae Moderator